



**O**Sualdus ille post prima literarū rudimenta in patria percepta sese hinc inde ad Academi-  
 as contulit, & in omni genere literarum diligen-  
 ter exercuit. postea animum ad Iurisprudentiā cō-  
 vertit, & in eo studio adeò profecit, ut Doctōris  
 nomen omnium suffragio sibi compararit. Huic  
 præclaræ eruditioni accedebat & singularis pru-  
 dentia, vitæ integritas, & naturalis faciendia. Id cum  
 Ernestus marchio Badensis cognouisset, anno cir-  
 citer 1514. eum suum cancellarium constituit, & res  
 maximas suo nomine hinc inde apud Imperij prin-  
 cipes expedire iussit. Itaq; Osualdus magna dexte-  
 ritate res sibi commissas expediuit, & ut iustitia ac

equitas in Marchionis ditione passim retineretur, summopere curauit. hinc fa-  
 ctum ut suis uirtutibus magnum sibi nomen compararit. Cum hoc modo per  
 40 annos Ernesto patri & Carolo filio à secretissimis consilijs fuisset, tandem  
 5 calend. Aprilis, anno 1554 ueneranda canitie insignis obiit, & omnium luctu  
 Pfortzheimij in templo iuxta chorum sepultus fuit, cum hac monumenti in-  
 scriptione, quam ibi existens uidi & hic subiicere uolui.